

Provincia Veneta.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70132](#)

A



# PROVINCIA VENETA.



A B V I T hæc Prouincia anno Domini 1599. Socios 357. si 4. discipuli qui Romæ student annumerentur, id est, 133. Sacerdotes, & Fratres 214. Ex his Præceptores 38. discipuli 83. cum ijs qui docent: adiutores 112. qui omnes ita sunt in omnia Prouinciæ loca distributi. In domo Professa Veneta 37. Sacerdotes 21. discipuli 2. adiutores 15. In Patavino Collegio 59. id est, 13. Sacerdotes, quorum tres magistri, discipulus unus, præterea 19. discipuli, Adiutores 17. Brixiae 38. id est, 13. Sacerdotes; quorum 4. Magistri, & è Fratribus 3. magistri, discipuli 13. adiutores 9. Bononiæ 27. id est Sacerdotes 14. è quibus unus magister, alter discipulus: è fratribus 3. Magistri, discipuli 2. Adiutores 8. Ferrariae 19. id est, Sacerdotes 8. quorum unus magister, è Fratrib. 3. Magistri, Adiutores 8. Veronæ 19. id est, Sacerdotes nouem, Magistri 3. Adiutores 7. Mantuæ 18. id est, Sacerdotes 10. quorum unus magister, Fratrum 2. magistri, adiutores 6. Parmæ 29. id est, Sacerdotes 10. è quibus 4. magistri, & è fratribus magistri 2. Adiutores 8.

D 3

R O

11  
2027  
3005  
4005

Placentiæ 18. id est, Sacerdotes 8. quorum vnius magister  
è fratribus 2. Magistri, adiutores 8. Mutinæ 14. Sacerdotes  
6. magistri 2. adiutores 6. In Foroliuij 16. Sacerdotes 8.  
magistri 2. adiutores 6. Nouellarię 49. Sacerdotes 11. ma-  
gister 1. discipuli tyrones 19. Adiutores 18. Vicentina in  
missione 4. Sacerdotes 2. adiutores 2. Quatuordecim hoc  
anno Societati nostræ aggregati sunt, Scholares 9. toti-  
dem adiutores.

M O R T V I 6. Sacerdos vnius, Fratres 5. quorum  
vnius adiutor, cæteri Scholares. Sacerdos fuit Io. Maria  
Ballarinus Ferrariensis, annos 68. natus, tria vota profes-  
sus, qui & confessarij, & procuratoris munera exercuit,  
Collegioque Ferrariensi tum religiosa diligentia, & in-  
dustria multum profuit, tum etiam de suis bonis magna  
charitate impertitus est, nec mediocri sumptu ædificatio-  
nem adiuvuit. Paulus Tossinius item Ferrariensis, annum  
ætatis agens vigesimum nonum, qui recens quæstionum  
consciætiæ cursum peregerat. Claudio Vernetius Aruer-  
nensis annos 30. natus, Theologiæ discipulus. Ioannes  
Valmarana Vicentinus, annum agens vnum & vigesim-  
um, Philosophiæ studiosus. Bernardinus Munarius è  
Schio, in agro Vicentino annos 18. natus nouitius huma-  
niorum litterarum studiosus. Franciscus Bonus Mediola-  
nensis annum agens 51. adiutor temporalis formatus, qui  
socius fuit vnius è nostris patribus in Antiochena missio-  
ne, ubi magnæ virtutis specimen dedit in gravissimis in-  
commodis, ac manifestis vita periculis, quæ non tam pro-  
pter rerum inopiam, quam propter gentium barbaram  
vitæ non se mel adierunt.

D O M V S

## DÓMVS PROFESA SA VENETA.

**H**I C mulier quædam non imi subsellij, quæ nouem annos in pellicatu vixerat, vnius è nostris opera in matrimonium honestè collocata est: Quidam nostri Sacerdotis impulsu mulierem inopem, quam per triennium habuerat concubinam sine dote duxit vxorem, qui si parem sibi quæsisset optimam dotem sine dubio nactus esset. Confessiones multorum auditæ, qui multis annis confiteri omiserant. Mulier, quæ viro deserto quinquennium turpem quæstum fecerat, ad sanitatem, & ad virum reducta.

## PATAVINUM COLLEGIVM.

**R**AE T O R, cui nomen Ioannes Cornelius vir in Venetorum Rep. primarius, in B. Virginis Sodalitatem cooptari voluit, quem cum Præfectus alijque multi conuenissent grates acturi, ac patronum potius adoptaturi. Is apertè denunciavit se tanquam vnum è gregalibus esse yelle, quotque mensibus Sancti tutelaris, qui sibi sorte obtigerit, nomen depositus. Regulas etiam charas habet, iamque ter Sodalitum inuisit. Vnus è fodalibus S. Benedicti familiam ingressus est. In templo maximo per æstatem, & Aduentum concionatus vnis è nostris magno cum fructu, & approbatione omnium. Tres viri nobiles è coeno Hæresis, in

D 4

quo diu volutabantur nostrorum opera emersere. Externus quidam iuuenis fortuitò ingressus domum, vbi Sacerdos noster familiariter cum domesticis de Eucharistia loquebatur: tum coepit questiones ponere, responsa oppugnare, tamque acriter instare, vt dubitare potius quam disputare videretur: veruntamen sic ei Pater respondit, vt mutum, & elinguem reddiderit: Itaque sine mora discessit. Quindecim post dies Pater idem ad confessionem ægri iuuenis audiendam accersitus abit, cum ille quisnam esset ignoraret, vbi pedem in cubiculum infert, querit æger num se Pater agnoscat? statimque obortis lacrymis illum se dicit esse, qui superioribus diebus tam pertinaciter de Eucharistia esset altercatus, seque ob eam causam quarto post die diuinus graui illo morbo, quo tum conflictabatur percussum: denique reconciliatus Ecclesiæ summa cum animi voluptate, & sacramentorum, quæ maxima religione, atque veneratione petierat, effectus particeps, obdormiuit in Domino. Vni ad religionis castra, quæ deseruerat redditum persuasit unus è nostris: alter qui deserere statuerat, P. Ignatij commendationibus retentus. Villa suburbana relaxandis nostrorum animis hoc tandem anno coempta.

---

## B R I X I A N V M C O L L E G I V M .

---

**H**INC in aliquot loca magno cum fructu excursum est. In valle Camonica, quæ vna est totius agri Brixensis latissimè patens, & frequentissima duo de nostris Sacerdotibus, per aliquot menses ita versati sunt, vt multa oppida obierint, in ijsque præter quotidianas penè Doctrinæ Christianæ exer

exercitationes, quibus ad pietatem rudioris illius gentis animos informarunt, non paucos in mutuam concordiam reduxerunt, veteribus odijs prorsus extinctis. Confessiones autem iam inde à prima ætate excepere ducentas.

ALBINI quidam à concubinæ consuetudine distractus, qua multos iam annos pro vxore flagitiosè vtebatur. Clarij confessiones plurimorum auditæ. Nonnullæ restitutions pecuniaæ, & reconciliationes factæ.

## C O L L E G I V M BONONIENSE.

**D**VO hæresi exuta Christum induerunt: duo itidem Catholici, qui cum periculo fidei aliquot annos cum hæreticis versati sunt, in tutum reducti ut sacramenta per quindecim annos, & eo diutiis intermissa resumerent, permulti ad concordiam, plurimi ad sanitatem mentis, ac vitæ probitatem Nostrorum ductu rediere. Aucta est etiam sacra supellex duobus argenteis calicibus oblatis, pensilique lycnacho itidem argenteo aureorum 150. summæ aræ illuminandæ.

## C O L L E G I V M FERRARIENSE.

**M**ULIER C V L A per Nostros in conuersarum coenobio collocata. Adstructa cubicula sex simul cum pergula. Collegio relictus fundus annuo centenum vicecum aureorum ve-

D 5

---

## VERONENSE COLLEGIVM.

**V**EMPLI frons ædificatur egregiè. Præsunt multi viri primarij, qui hoc anno aureos circiter bis mille corrogarunt. Nonnullæ mere-trices in tutum poenitentiæ locum inclusæ: multi ab adulterio ad castitatem reuocati: concubinas alij, plerique peccandi occasiones missas fecère. Erectæ nuper Sodalitates duæ, vna ex officinarum dominis, quorum numerus, & pietas augetur in dies: altera ex hominibus inferioris ordinis, qui & hospitales ædes visitant, & piæ puerorum institutioni operam præstant. Duo fratres cum fratre per quadriennium turpiter dissidentes pacati.

---

## MANTVANVM COLLEGIVM.

**M**LV STRISSIMVS Episcopus, qui Nostrorum opera, & consilio in omnibus rebus quæ nostri sunt instituti, lubentissimè vtitur, Quinquagesimæ Dominico die in æde nostra cùm de more sacrosancta Eucharistia propalam esset collocata, concionari dignatus est, ac populo bene precati. Serenissimi Ducis coniux, & soror nobis amicissimæ sunt, resque nostras ad meliora promoueri, & iniqua loquentium apud ipsum Duce in ora pro virili nituntur

tur obstruere, quare ab ipso Deo non parua in nos benevolentia signa sunt data. Familia duplicitis graue dissidium sublatum. Multi à cæde vel sui, vel conitigum, vel inimicorum ad peccati cædem auocati. Virgines quædam vel religioni sese addixerunt, vel in S. Ursulæ Societatem, quam hoc anno Serenissima Ferraria Princeps instituit, nostris auctoribus ingressæ. Cuidam hæresis labe contaminato scripta quædam de fide, ac pietate ad exscribendum data, religionis candorem reddidere. Vir quidam religiosus è familia Franciscana diligenter à Patre nostro pijs commentationibus exultus, qui deinde Visitator Apostolicus, & Provincialis in regiones Septemtrionales profectus, quo cumque potuit è suis ad easdem spirituales exercitationes magno totius familie bono compulit, vel potius allexit.

---

## COLLEGIVM PARMENSE.

**O**BILIS vir multis à suis colonis affectus vulneribus, tandem recepta valetudine iniurias omnes monitu, ac rogatu Nostroru, pœnasq; ab externo foro imminentes remisit. Vxor item à zelotypo viro ad necem vulnerata, vt veniam illi daret à Nostris adducta est, & mox è corporis ergastulo fœliciter educta. Adolescentula tam grauter ægra ut medici diffiderent, nostri Sacerdotis, & Matris precibus, Patri Ignatio ingenti fiducia commendata conualuit. Scholæ superiores hoc anno Mathematicæ, Philosophiæ, ac Theologiæ Serenissimi Ducis liberalitate institutæ sunt. Dux ipse nobis hoc nomine mille aureos attribuit: ciuitas autem domicilium ducentis aureis conduxit, quod cum

cum media via disiunctum esset, ligneo ponte coniunctum est. Vno verbo præclarè posita initia. Ad hæc Oratorium, ut vocant, in ipso Collegio conditum est, insigni frequentia, & fructu.

## COLLEGIVM PLACENTINVM.

**H**O C anno 40. horarum supplicatio in templo nostro ante Cineralia instituta est, magno ciuitatis concursu, ac lætitia. Adfuit ipso primo die dominico & rem diuinam fecit Illustrissimus & Reuerendissimus Episcopus: ter item singulis hebdomadis Quadragesimæ per horam Christi Domini cruciatus partim sermunculis expositi, partim pia meditatione perpensi, quod ventitanti præcipue nobilitati, & voluptatem attulit, & vtilitatem. Illud esto signi, quod familia quædam obrectatorum maledictis à nobis alienata, templum nostrum, in quod antea pedem inferre nolebat, frequentare cœpit. Virginum ex vndecim millibus quatuor capita, cum earundem minutioribus reliquijs tum Serenissimi Ducis Alexandri Farnesij, cuius fælix recordatio, tūm etiam viri perillustris Leolazari Affaller arcis Placentinæ Præfecti liberalitate Collegio nostro donata sunt. S. Martini Pontificis festo die ex æde sumina, in quam altero ante die vesperi priuatim delata erant, in ædem nostram solemni pompa, summa totius Cleri, atque populi celebritate translata sunt. Cuidam eodem tempore ante sacras reliquias oranti Deus commouit memoriam illius versiculi, Fulgebūt iusti, &c. Is igitur dum æternum iustorum in cœlo fulgentium splendorum animo spectat, superioris vita pertulsi, melioris instituenda

stituendæ consilium iniit, initium Poenitentiæ sacramento confirmauit. Mille circiter aurei hoc anno in ædificationem Collegij ferè omnes per insigni eiusdem, quem superà dixi Leolazari beneficentia expensi, qui quidem non modò præsenti pecunia: sed prope quotidiana præsentia vrget opus, & illius incrementis mirum in modum lætatur.

---

## COLLEGIVM

### MVTINENSE.

LIQVOT familias Nostri non solùm à veteribus odijs, & inimicitijs, multosque à pernicioſiſſimis cædibus abduxere, ſed etiam ad frequentem sacramentorū uſum adduxere. Quædam præterea ſacrarum Virginum coenobia tūm ad obsequendum pastori, tūm ad ſacra mysteria confeſſionis, & communionis octauo quoque die obeunda promouerunt. Spiritus sancti Sodalitium, quod per aliquot annos iacuerat, hoc anno rurſus magno ardore excitatum eſt, & plurima, lectiſſimaque nobilitate adauctum, quod ſpiritualibus exercitationibus affiduo precandi ſtudio, cerebra ſacramentorum uſurpatione, per diligenter excolitur. Argentea pixis Eucharistiæ ſeruandæ, plus 100. aureorum dicata.

DO

# DOMVS PROBATIO- NIS NOVELLA- RIENSIS.

**N**OSTRORVM vnuis ad Mirandulæ Principem ipsius rogatu missus , quo ille consilio-  
rum , & recte factorum duce vtebatur, ea Pa-  
tris commoratio dierum quinque supra  
triginta plurimis profuit plurimum , multos pacauit,  
multorum bonorum causa efficiens, malorum prohibens  
fuit: exempli gratia quidam exul, quem Pater impen-  
dientia mala prospiciens reuocandum curauit , cum do-  
mum nostram adjisset , affirmauit Patrem ipsum extre-  
mam à se, alijsque multis perniciem auertisse.

D E Foro Liuij nihil. Cætera communia, & vñitata.

PRO

OC